

Bithinia geruntur, interim Hugo, Normanus, Flandriæ Carnotique Comites, ex Bariensi portu profecti Dyrachium applicuere: hinc turmatim interjectis diebus, ne alioquin quacunque iret tam ingens, nimis gravis esset exercitus, Dalmatiæ præfecto Alexii nomine id petente, Constantinopolim copiæ omnes sunt traductæ: ubi cum velut in hospitio essent, ferunt Alexium illis insidiatum, utpote qui ab initio eam expeditionem suspectam habuisset: sed Balduino, Gothifredo, & aliis jam illi reconciliatis, Podiensis Antistes & Raimundus, qui per Dalmatiam duxerant, Epirum, Macedoniam, & Thraciam supervenere. Boemundus, qui ob paternas suæ que cum Alexio inimicitias sciebat parum pacata omnia se in Græcia habiturum, ex Brundusio perpetua navigatione in Peloponnesum venit: hinc composito agmine profectus quasi acie dimicaturus, per superiorem Mysiam & Thraciam, ut Alexii declinaret insidias, spe omnium celerius in Asia transmisit. Hic hæreticæ gentis expugnato oppido ac direpto, quum ad Barbarum amnem ventum esset, parte copiarum vado transmissa, reliquas cohortes in citeriore fluminis ripa tenuit. Postridie vero sub lucem Alexiani traductas copias ingenti tumultu adorti, primo impetu terrorem maximum injecerunt: fuisseque illic non sine periculo laboratum, nisi Boemundus cum duobus millibus equitum, quos in hunc usum paratos habebat, præsto affuisset: cui venienti facile Græci cessere. Atque ita ille, quum nihil sibi uspiam tutum ab Alexii insidiis cerneret, quadrato inde agmine ducere statuit. Ipse interim Imperator, quum omnia frustra tentasset, pro magno habuit negocio, cum Boemundo per legatos in gratiam redire, insidiarum culpa in paucos prædæ cupidos rejecta. Ferunt, jam inde Alexium nemini ducum plura quam Boemundo deferre solitum: in quo studio ut perseveraret illius comitas fecerat, qua ita fese Alexio, quum Constantinopolim venisset, insinuavit, ut copias in supplementum, equos, vestem, arma, atque omnia necessaria se benigne militibus præbiturum promiserit. Sed ut suis quoque rebus cautum videretur, ea se conditione, quæ promissa essent præstiturum dicere, si duces ipsi jurejurando receperissent,

neque

Alexio ex-
pedition vi-
detur su-
petta.